Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2007
Quelle:
Copyright:

CODICES LITURGICI.

DCCCXX.

R. 17 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 223. f. maj. per duas columnas luculente exaratus, rubricisque distinctus, *Liturgicus* est, et sequentia continet: I. Expositionem Partium Missae initio truncam, quae est *Amalarii Metensis* Scriptoris Sec. IX. *Eclogu* edita primum a *Steph. Baluzio* in *Append. Capitular.* dein a *Job. Mabillonio* T. II. *Musei Ital.* p. 549. Nobis superest a verbis: *Osanna, benedictus qui uenit. Gentiles quidam qui nondum erant dei* &c. et tamen *Mabillonii* textum, qui in Art. *de Praefatione* ita abrumpitur: *populum tuum de terra Aegypti* &c. ita subplet, ut non tantum integrum *Danielis* locum referat, sed insuper addat: *Primo namque laudauit dominum in eo, quod deduxerat populum suum de seruitute graui, et postea deprecatus est de presenti tribulatione.* Sequitur *fol.* eod. 1. p. 2. *Qualiter quedam orationes et cruces in Te igitur agende sunt.* Video hic integrum haberi *Ordinem Romanum de Missa Pontificali*, quem ἀκέφαλον inseruit *Mabillonius*, inscius, integrum etiam in *Hittorpii* Collect. *Liturg.* p. 588. extare, et a *Baluzio* in *Append. Actor. Vet.* T. II. *Capitular.* utriusq. Edit. *col.* 1366. connecti cum *Amalario* praecedente, dicto *Museo T. cit.* p. 61. Itaque do *Rubricas* praecedentes, quae ei defuere. Te igitur